



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De clericis iniustè tonsuratis. xci.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



men iustum negocium est contradicendum propter necessitates diuersas: quia legimus sanctos apostolos negociasse, & in regula S. Benedicti præcipitur præuidere, per quorum manus negocium monasterij transeat. Canes & aues sequi ad venandum, & in omnibus quibuscumque causis superfluum esse. Ecce talia & his similia ministris altaris domini, necnon & monachis omnino contradicimus. De quibus dicit Apostolus, Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.

*De clericis iniuste tonsuratis. Cap. XCI.*

**D**E clericis verò hoc statuimus, vt hi qui hactenus inuenti sunt siue canonico siue in monachico ordine tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt vt ita permaneant, & deinceps cauendum, vt nullus tondeatur, nisi legitima ætate, & spontanea voluntate; vel cum licentia domini sui, vel consensu parentum.

*Ne episcopi siue abbates, ante se ioca turpia fieri non permittant. Cap. XCII.*

**V**T episcopi & abbates ante se ioca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio diuina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione, & laude domini secundum Apostolum: Siue manducatis siue bibitis, omnia in laude Dei faciatis.

*De illis qui ab episcopo seu ab aliis auaritia causa seducti se totonderunt. Cap. XCIII.*

**C**onstituit sanè sacer iste conuentus, vt episcopi siue abbates, qui non in fructum animarum, sed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines illectos circumueniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione non solum acceperunt, sed potius surripuerunt, penitentia canonica siue regulari, vt pote turpis lucri sectatores, subiaceant: hi verò qui vanis promissionibus illecti, vel quibuscumque machinationibus persuasi, mentis inopes effecti, rerum suarum domini esse nescientes, comam deposuerunt, in eo quod ceperunt perseuerare cogantur. Res nanque quæ ab illectis & negligentibus data, ab auaris & negligentibus non solum accepta sed rapta noscuntur, heredibus reddantur, qui dementia paratum,

Y iij

*Ex eodē  
cap. 23.*

*Ex eodē  
cap. 24.*

*Ex eodē  
cap. 25.*